

Narratur fabula etiam hoc modo : Commiserat ovis agnum custodiae hircorum, ubi cum esset tutus à vi lupi, Quid tu, inquit lupus, hic potius apud olidum gregem vititas, & salebrosa loca sequeris, quàm apud tuos amœnis in pratis pascua opima carpis? Cui agnus, Mater, respondit, meâ hic me manere iussit, & contra voluntatem suam hinc recedere vetuit.

Fabula docet observationem eorum, quæ præcipiunt parentes, juventuti salutarem esse.

De Homine & Fele.

Habebat in deliciis felem adolescens : Eam ut in puellam converteret, cum Venerem exorasset, letas nuptias celebrat. Aderat & Venus convivio. Hac volens periculum facere, cum formâne etiam animum priorem exuisset, emittit in medium murem. Ad hunc intuita sponsa, quæ inter virgines exornata assederat, commoveri quidem admodum, sed se tamen reprehendere & continere. Tum Venus alterum musculum emisit. Quo viso ista non magis apud se, exilire, & oblita omnium, musculum insequi capit. Ex eo intellectum, difficulter vel potius nullo pacto naturam mutari posse.

Fabula docet, ingenitos mores & insitam mentem, nullâ arte posse transformari.

Agricola & Filii.

Cum sentiret appropinquare sibi mortem agricola senex, cui domi esset soboles numerosa, sæpe ut sit discordans, ita studuit conjungere animos & sententias illorum.

rum.